tari non patitur, paganorum minis et insultationi resumptis viribus et reformatis Christianis omnibus sapientissime resistitur. Alii namque Christianorum hieme imminente domos ligneas edificare, alii castella lignea duo alia perficere atque duo priora reficere indesinenter laborabant, atque alii Christianorum insulam terra marique circuire et bonis omnibus expoliare, totumque exercitum victualibus sustentare accuratissime insistebant. Omnibus itaque Christianorum machinis perfecte constructis, confestim cum hiis omnibus instrumentis ad urbis menia acceditur, ibique Christianorum castella contraponuntur ligneis castellis Saracenorum. Factum est, ut de ingenio Pisanorum ignis pennacius de castello Christianorum per antennam porrigeretur in castellum Saracenorum. Accenditur ergo urbis castellum et comburitur, et divina virtute faciente et intercessione beate Marie virginis interveniente, cuius purificatio tunc erat celebris Christiano populo, ignis ab ipso, quod

scissi in loco raso

circuire

* f. 46'

3